

Ung VI 182

Occasionalia
potissimum carmina
vol. 22
W-182.

W-182.

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE
MAGNIFICO,

DOMINO
VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO,

DOCTORI THEOLOGO ET HVCVSQVE
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI, PROFES
SORI PVBLICO LONGE CELEBERRIMO, VT ET
ALVM NORVM SAXON. EPHORO
GRAVISSIMO,

AD CAPESENDVM

AMPLISSIMVM ANTISTITIS DRESDENSIS
ET IN SVMMO SENATV ECCLESIASTICO ASSESSORIS
MVNVS,

A. & DCC IX. AD D. III. KAL. SEXTILIS

HINC DISCEDENTI,
PIETATIS ET OBSERVANTIAE OFFICIVM
PERSOLVIT

ORDO ADIVNCTORVM.
INTERPRETE

M. IO. GVILELMO IANO,
EID. ORDINI ADSCR.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



Ngenspraeſidium ſacrae, LOESCHERE,
Sionis,

Lumen Saxonici deliciumque foli,
Dulce decus noſtræ deſideriumque Ca-
menae,

Ac dudum celebris gloria prima domus,
Accipe, quæ pietas tota tibi dedita mente

Dicitat, et ex imo pectore fundit amor:
Et quo cunctorum uultu tibi corda reuincis,

Inque tui cultum numine tacta rapis,
Deuincti testes animi ne despice uersus,

Saltem conatus officiumque proba:
Quamuis noſtra tuo diſcessu percita Musa

In tenues cogat grandia facta modos.
Multis iam retro noſter te Pindus ab annis

Nouit et ingenii munera rara tui,
Iudicii pondus, mentis subtilis acumen,

Diuina ac hominum cognita ſcita tibi.
Quicquid enim Latium doctum, quod Graeca uetusſtas,

Aut priscus ſacri flos Orientis habet,
Quae latet annosis ſapientia condita fastis,

Ingenuus quicquid ſcire potest animus,
Omne tibi teneris infudit Pallas ab annis,

Atque tuo ſedem fixit in ore ſuam.

Tota ſed in ſacro ſe pectore diua recondit
Eusebie ſueto cincta ſodalitio.

Hinc

Hinc uirtus in flore tuae iuuentae
Attigit insolito maxima quaeque gradu.
Haec longe terras radios diffudit in omnes,
Vt decus hoc cuperet quaelibet esse suum.
Quod tamen ipsa suae mater praelata sorori,
Obtinuit felix afferuitque sibi,
Et magni statuit sublimi in sede Lutheri,
Puris conslocians lumina luminibus.
Scilicet huc tua te pietas, huc summa uocabant
Numina symmystam, cunctaque uota ducem.
Iam quid Leucorei memoremus gaudia Phoebi,
Conuersum in uoces aut Helicona tuas?
Quid doctos hilari plaudentes murmure coetus,
Aut densis iuuenum pulpita cincta globis?
Nam, uelut exactae post tristia frigora brumae,
Cum se purpureo uere remittit humus,
Toto pennigerum magno genus agmine coelo
Perstrepit, ac laetos edit ubique sonos:
Sic, post magnorum moestissima funera Vatum,
Explicit frontem Leucoris alma suam,
Laetantesque nouo uegetae doctore cateruae
Totis Castalidum personuere iugis.
Excitus ipse humidispater Albis constituit undis,
Et fluctus iusfit lentius ire suos.
Nec tamen hasce magis iusto ueneratur honore,
Quam tenero dotes Pindus amore colit.

Ipsæ

Ipsae namque tua Charites ex fronte resurgent,
Promicat ingenuus candor et alma fides.
Alloquio moestos, opera solaris egentes,
Auxilio miseros consilioque iuuas.
Hinc quamuis meritas diuina modestia laudes
Respuat, et famae se generosa neget:
Quamuis non quaerat laurus, titulosque superbos
Ipsa sibi demat, quos pudibunda capit:
Te tamen inuitum curru sectatur eburno,
Et rapit ad summos gloria laeta gradus.
Sed nostris, eheu! raptum subducit Athenis
Inuida, sollicitis nec reuocanda modis.
Totus enim tristi te uoce requirit Olympus,
Tam dulci posthac destituendus ope:
Nec te, quem uotis retinet, precibusque moratur,
Diuelli amplexu fas putat esse suo.
Si tamen ipse DEVS, summi si iussa Senatus
Imponunt humeris publica uota tuis,
Ceslemus tandem te sollicitare querelis,
Demus et hac uictas utilitate manus.
Sic faultis inuectus equis ad regia pergas
Moenia, quo celebris fama praeiuit ouans!
Sic prono semper faueat tibi sidere coelum!
Sic faueant coeptis Numina lacta bonis!
Sic sacra fulta tuis uigeat respublica curis!
Sic per cuncta tibi secula crescat honos!



May VI 182

V. 17

VIRO
SVMME REVERENDO ATQVE
MAGNIFICO,
DOMINO
VALENTINO ERNESTO
LOESCHERO,

THEOLOGO ET HVCVSQVE
MIA VITEMBERGENSI, PROFES
ICO LONGE CELEBERRIMO, VT ET
NORVM SAXON. EPHORO
GRAVISSIMO,

AD CAPESENDVM

IVM ANTISTITIS DRESSENSIS
IO SENATV ECCLESIASTICO ASSESSORIS
MVNVS,

DCC IX. AD D. III. KAL. SEXTILIS
HINC DISCEDENTI,
TATIS ET OBSERVANTIAE OFFICIVM
PERSOLVIT

DO ADIVNCTORVM.
INTERPRETE

I. IO. GVILELMO IANO,
EID. ORDINI ADSCR.

EMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

